



בג

DE CAUSA SINE QVA NON.

Ἄνευ προσομίς καὶ παθῶν,

§. 1.

L*D, sine quo res fieri non potest, aut certe non fieret,* truncato stylo CAUSA SINE QVA NON in scholis Philosophorum audit, ex eodem quippe fato, quod & alia huiusmodi notiones ad rem pressius rotundiusque signandam ac verborum prolixas ambages devitandas (e. g. Principium Quod & Quo, Finis ῶ & ῆ, &c.) expertæ fuerunt.

§. 2. Dicitur & alio nomine CONDITIO SINE QVA NON, ac, quod nonnullis placet, rectius. Quamquam nec nostrum vocabulum respuendum adeò videatur, quippe cum diuturno jam usu ab ipsâ Galeni, imò Platonis ætate satis sit receptum, nec terminos à Majoribus positos hac etiam in parte movere temerè liceat. Si verò ideò Causæ nomen derogandum ipsi foret, quia planè non est causa: sequeretur, quòd etiam homo mortuus vel pictus hominis nomine dignandus non sit amplius. Aequivocam itaque Causæ appellationem, ex ipso additamento alienante, SINE QVA NON, satis manifestam, non est cur ei invidiamus, præcipuè cum, quod postea videbimus, causæ veræ efficientia ab huius necessaria præsentia omninò dependeat. *Ratio enim, cur causas* (huiusmodi res) *vocarint, ea est,* (inquit Corn. Mart. Comm. Met. p. 118.) *quòd à causatione effectus abesse non possint.*

§. 3. Galenus vocat talia, τὸν ὦν σὺν ἄνευ λόγον ἔχοντα, seu, *quæ habent rationem ejus, sine quo non*, quorum creberrimam passim mentionem notatur injicere. In Aristotele verò non quidem ipse terminus, ejus tamen exempla haud rarò sunt obvia.

§. 4. Equidem Plato in Phæd. p. 74. ed. Francof. A. 1602. ait: Ἄλλο μὲν ἔστι τὸ αἴτιον τῶ ὄντι, ἄνευ ῆ τὸ αἴτιον σὺν ἂν ποτ' εἴη αἴτιον ὁ δὴ μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὡσπερ ἐν σκοτῆ ἀλλοτρίῳ ὀμματι, (al. ὀνόματι) προσχωρῶμενοι ὡς αἴτιον αὐτὸ προσπαρορθεύειν. i. e. ex

A 2

vers,